



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

Quae sunt peccata contra primum praeceptum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

Quæ sunt peccata contra
primum præceptum?

Gradus multi sunt, sed omnes pugnant cum timore aut fide.

I **Primus** gradus est **Epicureorum**, uidelicet **ethen** se **deus**, negare quòd sit **Deus**, aut quòd sint creature res humane.

II **Secundus** est **idolatrarum**, tribuere creaturis honorem **Dei**, uidelicet omnipotentiam, inuocationem etc. Sicut gentes fingebant esse multos **Deos**, & nunc sancti inuocantur.

III **Tertius** est **Iudeorum**, **Mahometistarum** & omnium hereticorum, qui non apprehendunt **Deum** iuxta uerbum **Dei** propositum, sed fingunt sibi suos **Deos**, contra uerbum **Dei**. Item, confidunt certis ordinationibus contra ordinationem & mandatum **Dei**.

IIII **Quartus** est **Magicorum**, qui faciunt pacta cum **Diabolo**, credunt **Diabolo** contra mandatum **Dei**. Item, confidunt certis ordinationibus contra ordinationem & mandatum **Dei**.

V **Quintus** est eorum qui alligant **Deum** ad certas statuas humana autoritate positas, aut etiam uim ipsis statuis tribuunt. Nam **Esaias** docet credendum esse, quòd in omni loco pariter exaudiat

Deus.

Deus, agentes pœnitentiam. **I**tem, impietas est al-
ligare Deũ humana autoritate ad certas statuas,
aut certa opera, humana autoritate excogitata.

Sextus est **Hypocritarum**, qui quamuis non **VI**
sunt palam & deo, tamen uiuunt in carnali securi-
tate & contemnunt iudicium **D**eï, nec habent ue-
rum timorem **D**eï. **I**tem, magis diligunt opes aut
uoluptates, aut gloriam, quàm **D**eum. **I**tem, non
agnoscunt, quòd **D**eo debeat gratitudo et obe-
dientia, quia sit creator, & quòd fruimur eius be-
neficijs.

Septimus est desperatio & odium **D**eï, quem **VII**
admodum **S**aul desperat, & cum uidit se abie-
ctum, irascitur **D**eo, & odit **D**eum.

Octauus est impia fiducia propria iustitiæ **VIII**
coram **D**eo, ut **Pharisei** illius **Luce 18**. **N**am hy-
pocrite dupliciter peccant. **N**on intelligunt iu-
dicium **D**eï, aduersus peccatum. **I**taque non uerè
timent **D**eum. **R**ursus etiam transferunt gloriam
quam debebant **C**hristo, in propria opera, &
propriam dignitatem.

Nonus, dubitatio perpetua in animis, an ex- **IX**
audiamur, an **D**eus respiciat nos, an **D**eus uelit
nobis ignoscere. **H**uic dubitationi repugnant san-
cti, & fide se erigunt. **S**ed in impijs manet dubi-
tatio et diffidentia, quæ et ipsa gignit contẽptum

&

et odium Dei, quia imaginatur Deum aut ociosum esse, aut iniquum, crudelem, qui tot modis affligat hanc naturam infirmam, nec uelit eam liberare.

X Decimus est impatientia. Nam Deus subiecit humanam naturam afflictionibus. Quare impatientia est obedientia erga uoluntatem Dei. Contra impatientia, est repugnare uoluntati Dei, et irasci Deo, et crudelitatem aut iniustitiam Deo tribuere. Ac diligenter meminerimus impatientiam esse peccatum, contra primum preceptum, iuxta illud, Irascimini et nolite peccare. Nam haec admonitio in magnis doloribus prodest, ut discamus dolori et iracundiae repugnare. Et si autem erumpunt etiam sanctis interdum hi affectus, tamen hi repugnant eis, et subiiciunt se uoluntati Dei.

XI Vndecimus, negligere et contemnere uerbum Dei, deficere a uera doctrina, seu metu, ut Petrus deficiebat, seu propter scandala et hominum gratiam, seu quascunque alias causas.

XII Duodecimus, fiducia propriae potentiae et sapientiae, ut Sennaberib confidebat sua potentia se euersurum esse regnum Iudaicum, nec curabat auxilium Dei, nec petebat. Denique generatim peccata sunt contra primum mandatum omnis

mnis

in contemptus Dei, uidelicet deficere à Deo
 & contra mandata Dei facere, atque ita præfer-
 re creaturas Deo. Quare in omni peccato simul
 inest uiolatio primi præcepti. Nam omnis inobe-
 dientia est contemptus Dei, seu deficere à Deo.

In regione colligantur bona opera primi præ-
 cepti. Credere omnes articulos fidei, nec assenti-
 ri Epicureis, Idolatris, Iudæis, Mahometistis,
 Hæreticis, non tribuere sanctis honorem Dei,
 non inuocare sanctos, non alligare Deum ad cer-
 tas statuas. Non facere pacta cum diabolo, non
 confidere obseruationibus contra ordinationem
 diuinam. Habere uerum timorem Dei, & ueram
 fiduciam erga Deum, propter Dominum no-
 strum Iesum Christum. Diligere Deum, hoc est,
 agnoscere, quòd Deo debeatur gratitudo & o-
 bedientia, quia sit Creator, quia fruamur bene-
 ficijs eius, quia per filiū suum nos redemerit etc.
 Ac propterea non esse faciendum contra manda-
 tum Dei, propter uoluptates, opes, gloriam, aut
 ullam creaturam. Non habere fiduciam propriæ
 iustitiæ, sed petere misericordiam & certo cre-
 dere, quòd per misericordiam propter Christū
 pater sit nobis propicius. Repugnare impatien-
 tiæ, & agnoscere quòd obedientia in cruce sit
 præstanda Deo. Non confidere potentia aut sa-
 pientia,

piencia, sed auxilium Dei in omnibus negotijs petere. Non deficere à uerbo Dei, propter metum aut scandala, aut alias ullas causas. Hæc sunt opera primi præcepti. Et in omnibus bonis operibus debet addi hic finis, ut fiant propter Deum, hoc est, quia cupiamus Deo grati esse & obedire. Ita omnia bona opera aliorum præceptorum fiunt opera primi præcepti. Et uirtutes propriè pertinentes ad primum præceptum, sunt fides, timor, spes, dilectio, gratitudo erga Deum, id est, tota obedientia erga Deum. Et hæc opera atque uirtutes, sunt cultus Dei interiores, qui sunt uerè spirituales cultus.

Quæ est pœna uiolati primi præcepti?

Toti decalogo additæ sunt promissiones & comminationes, etsi non repetuntur nominatim in singulis præceptis.

Primum igitur sciendum est, æterna morte puniri uiolationem decalogi, sicut Christus inquit Matt. 5. Nisi iustitia uestra abundauerit etc. **I**tem, Si uis in uitam ingredi, serua mandata.

Secundo accedunt & pœnæ temporales. Estq; primo præcepto peculiaris comminatio addita, puniens in tertiam et quartam generationem zc.

Quod